





EPITHALAMIA
Clarissimo, & Consultissimo viro

DN. DANIELI BRUCKHAUSIO
J. U. CANDIDATO, ADVOCATO, ET PRACTICO STETINENSI.

ET

Honestissimæ, Pudicissimæq; virgini

ANNÆ,

GREGORII WESTPHALII p. m. civis quondam Stetinensis relictæ filiæ.

Sponsis florentissimis.

Nuptias Stetini celebrantibus ipsis
Nonis Februarijs Ao. M. D. C. XXI

STETINI *Typis Duberianis Anno* 1621.





D Peleî tedas divûm convenerat agmen,
Neglecta sola Eris parat non negligens
Vindicta auratū, ut caperet pulcherrima, pomū.
Suspensa Paridis numina ad suffragium
Æmula constiterant formarum in vallibus Idæ,
Ambigua Paphiæ palma cessit aureæ.
Bruchausi de te narratur fabula. Namq;
Dum literata castra persecutus es,
Quid nisi Pomum Eridos factus, vel præda cupita es
Doctarum amabili Dearum cætui?
Euepie, tum flexanimis Suadela lepores
Miscens suum te jactitaverat fore.
Candidulæ Technes te gnata superbit alumno
Sophie: Themis voluminum scientiâ
Illustris cupit esse suum: Ipsa resolvere Iuris
Astræa gryphos prompta; & ex ambagibus
Eunomie expediens tricas, pia turba sororum,
Pullum sinu ceu delicatum te fovent.
Passibus auricomæ properant æqualibus Horæ,
Quæ metiuntur evoluta tempora,
Historiæ & pandunt grandi monimenta cothurno,
Te gloriantur esse singulæ suum.
Non tulit hoc Erycina Venus, quæ sola nequibat
Id obtinere juris in *Bruchausium*,
Dum chartæ immoritur, totus redoletq; lucernam:
Hæc arietes, & machinas quoq; admovet,
Vt reliquis sociam se addens hunc retrahat ad se,
Cupidinis vibrans acuta spicula.
Iugenuum ô pectus! Sensisti vulnus adactum
Ad intimas medullas, & præcordia.

Te Venus esse suum nunc pleno clamitat ore,
Cnm blando Amore dum tropæa collocat,
Et pomum expositum tot votis deniq; captat
Pomum Eridos hoc virtutis in certamine.
Binus Amor: Nuptæ prior, alter & ille Themistos
Divisus ut sit, imminutus haut erit.
Divis quin etiam dubiam, te judice, Palmam
Reddet Venus. Nam lex tori si adriserit,
Pulchram Helenam stabili sociabit fœdere, cunctis
Annam decoram dotibus *VVestphaliam*
Instinctus mentis tibi sit venus. Ille Cupido
Est flamma sæviens latenter ossibus.
Quamvis intenso glacies stat frigore firma:
Non friget intus, cordis at fax æstuat.
Deme Poëtarum nebulas. DEUS autot amoris
Casti pudicam destinat tibi Sponsulam,
Eximium munus varium per agona laborum,
Non tam brevi exantlaveras quos tempore.
Credimus in cœlis fieri connubia Fato,
Quod oculis iste providus determinat,
Respiciat vultu qui connubiale benigno
Foedus, facessat hinc Eris, Pax aurea
Ambiat, & mensam soboles pulcherrima cingat,
Conspiret ardor Philtro amico mutuus,
Vt redamere, prius fac ames, hic fomes Amoris
Brachausi erit cum prosperis successibus.
Sic voveo præsens animo, labijsq; remotus,
Salvete mihi, & valete dulces animulæ

Honoris, & adfinitatis ergò misit

M. Dionysius Frideborn Pastor Præpos:
Greifembergensis.

DANIEL BRUCHAUSIUS ET ANNA WESTPHALIA SPONSI.

ἀναγρ:

SPES UNA THORI; LÆTUS NUNC PLENA AD BASIA VIVIS.

Candida virgo procis aliquando petita duobus
Dißimilis fuerant qui conditionis: & horum
Alter erat doctus, multâ quoq; præditus arte;
Alter erat dives, sed nullâ præditus arte.
Virgo rogat patrem: melius cui nubere poßit?
Quidq; sit hosce duos inter discriminis? ecce
Judicij pater expendens examine binos,
Clam natâ, mandat compingi fortè libellos:
Quorum alter monstret chartam sine mente, sed alter
Docta & magna simul doctorum scripta virorum.
Non deformis erat sed pulcer uterq; libellus,
Dat natæ primò librum, qui mente carebat,
Utq; legat, mandat pater: at, pulcrum esse libellum,
Illa refert; sed ei nil, quo capiatur, inesse:
Reddidit ergo patri vocitans sine mente libellum,
Cum verò alterius lustrat sapientia scripta;
Arrident: Formosum intus petit ergò libellum.
At pater oblato post codice talia fatus;
Doctus ab indocto tantùm, me judice, distat,
Ceu liber ille libro nudâ & sine mente papyro.
Sic age tu scriptam, non nudam, selige chartam,

Siqua

Si qua voles thalamo tibi consociare maritum.
Hæc tibi Bruckhausi *cecinit mea Musa, quod olim*
Ista tui nobis sint ore relata Parentis,
Quem nostris oris multa experientia Clarum
Reddidit, augurio neq; lingua paterna fefellit;
Ingenij propter dotes dum prætulit unum
Te, cujus thalamum adspiret, Westphalia *virgo.*
Nunc gaude, exsulta: venit, ut metagramma *notat,* SPES
*V*NA *T*HORI: *L*ÆTVS *N*VNC *P*LENA AD *B*ASIA *V*IVIS.
Felices Sponsi! Domini *benedictio ditet,*
Optatâ unanimes det prosperitate beari,
Te Daniel, *teq;* Anna *pia; o par nobile! salve.*


Ἐτεόστιχον.

En nVnC eX qVInto LVXIt FebrVarIVs ortV,
DoCto ConIVnCta est Anna pVDICa VIro.

Adf. & amico suo perchare honoris ergò scribb.

Valentinus Gadebusch Ecclesiæ Bandecovianæ Pastor.

ALIVD.


Uod tua, *Bruchausi*, Titan præcordia docta
Finxerit ungue catus de meliore luto,
Non est quod lato verborum syrmate monstrem,
Testes Teutonici ô este Lycea soli,
Este viri clari, *Arnisæus*, clarus & alter.
Si quis Athenæum Marchionum incoluit,

Este viri clari, *Gentilis Scipio* & alter,
Si quem nutrivit Norica terra tibi.
Este viri & testes reliquo parnassio in horto,
Hicce *Bruchausiades* queis datus aspicere
Nam, quo rem referam, Clarij Pallatia Phœbi
Sunt octona, quibus singula jura bibit.
Ergòne dignus erit, cui jungatur pia virgo?
Ergòne diguus erit, qui ferat hæcce lucra?
Quid! meritus majora; sed hæc fatalia nullus
Nescit. *VVestphalin* quippe lucratus erit.
Cujus velarunt demissos flammea vultus,
Gordius ut nodus copula vestra foret.
Inde tibi veniunt unguentis jam madefacta
Limina, quæ nuptæ transilienda tuæ.
Hæc prævisa tibi fatis, hæc vinnula Sponsa est,
Cedere vult nulli quæ probitate sua.
Annula manna tibi suavis, quacunq; fruaris,
At fastidisse hanc ne videare, cave,
Nostra igitur tenui nunc Musa precatur avena:
Conjugio vestro DI meliora duint,
Phœbus amet Sponsum, faveatq; Diana maritæ,
Ne careat lætô vestra nepote domus.

Honoris & observantiæ gratia F.
Jacobus Möllerus Stettin. Pom.

Idyllion.


Ibrans artis ad unicæ
Obrussam, Themidi candidius sacrum
Pectus, pars animæ, meum
Bruchausi decus; Est jam nimium diu,
Cum

Cum deprendere coctius,
Tinniret solidum quid, quoq; discolor
Visus qui, quot & in plagis
Terrarum species, conspicuas tuo
Vrbes lumine figeres,
Oras excutiens sidere dißitas.
Multis porticibus sine
Haut laude invigilans, codicis intimas
Lustrasti tabulas. Sacer
Vidit Castalidum te pater & novem
Ridentes Heliconides,
Queis lambunt hedera tempora plectiles,
Impallescere literis,
In voto tibimet, noscere origines
Rerum. Meta tibi cito
Est attacta. Coli dignus es, ardua
Tu quod pervolitaveris
Alis ingenij. Pol ter & amplius
Fèlix, qui pote talia!
Iam nunc Eunomia palma viret tibi.
Tandem difficilis labor
Obrepit; positis atq; penatibus,
Circa torret amor jecur,
Tempestiva viro te movet integrum
Virgo. Te probitas, fides,
Fidum tangit item[illegible]. Rubea en labra

ANNÆ,

ANNÆ, Gratia cultior
Pinxit quam lepidè. Te nitor ustulat.
Apta Diva cupidinis
Iam flammis anima, sidere pulchrius
Splendentem roseo, novam
Sponsam; blanditijs ductitet ut marem
Sermonis socium, effice;
Cervicem niveam curvet ad oscula.
Scævâ euge ite bonâ, trahit
Quo formosa Venus. Fœdere castitas
Vos inter vigeat pio
Ac symphonia sit. Progeniem probam
Faxit Maxumus Optumus,
Vt vestram videant posthuma secula.
O comburite vividi
Soles assiduos lætitiâ: Iove
Saturnum quoq; frangite
Tristem; parca tenax tempora, vestraq;
In libræ gemina locet
Iustæ lance. DEVS numine cætera
Vos summus beet, exspuat
Ne votiva, precor. Nutrio spem, dabit
Subtextum â
Sponsi cognato

Thomâ Cramero Neo Trept. Pom.

FINIS.

